



um





3 2044 107 252 603

MH
270.1
N 27





Digitized by the Internet Archive
in 2016

<https://archive.org/details/dissertatioaug1740nebe>

DISSE^RTAT^O
INAUGURALIS MEDICA,
DE
COR TICIS PERUVIANI
MODO OPERANDI,

QUAM

DIVINA FAVENTE CLEMENTIA
DECRETO GRATIOSISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ
*IN PERANTIQUA ET CELEBERRIMA ELECTORALI
ACADEMIA HEIDELBERGENSI,*

PRÆSIDE

Viro Excellentissimo & Experientissimo DOMINO

D. WILHELMO BERNH. NEBEL,
Phisophiæ ac Medicinæ Doctore, ejusdémque Professore
Publico & Ordinario, & Sereniss. Ele^t. Palat. Med. Aulico
meritissimo, atque A. ad. Nat. Cur. Soc.


PRO GRADU DOCTORIS
AC SUMMIS IN ARTE SALUTARI HONORIBUS
IN SIGNIBUS ET PRIVILEGIIS SOLENNI MAJORUM
MORE ORTINENDIS.

PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTET.

JOANNES ADAMUS HOFFMANN, Schœnfeldensis.
Horis locoque consuetis
Ad diem 20. Septembris MDCCXL.

HEIDELBERGÆ,

Ex Typographo Electorali Academico, per Joannem Jacobum Höner,





B. L. S.

Nihil est in arte **Medica** difficilior
quam remediorum operationes in
humano corpore explicare , ea-
rumque rationes reddere ; sicut
enim in **ASTRONOMIA** Corporum cœlestium
stupenda magnitudo & immensa distantia , in-
tellectum humanum ab accurata eorum cogni-
tione arcet ; Ita in **MEDICINA** particularum
in corpus nostrum agentium incomprehensi-
bilis parvitas & nimia vicinitas (dum in ipso no-
stro corpore operantur) modum agendi nobis
occultat . Interim videmus **ASTRONOMOS**
invenisse methodum corporum cœlestium etiam
remotissimorum *motus* adeò accurate determini-
nandi , ut eorum *Eclipses* aliaque phænomena
futura ad minutum temporis infallibiliter præ-
dicere valeant .

Hæc mecum perpendens cogitavi , an non
in arte **Medica** æque ac in *Astronomia* talis adhi-
beri possit methodus , qua veritates maxime ab-

sconditæ , detegantur ; ASTRONOMORUM autem methodum inveni esse talem , quod I. Omnia phænomena corporum cælestium multis & accuratis observationibus explorent . II. Hypothesin quærant , quæ omnibus & singulis phænomenis semper & ubique satisfaciat , eamque pro vera stabiliant . Quid si MEDICI in *Microcosmo* idem facerent , quod ASTRONOMI in *Macrocosmo* ? Ego saltem *Dissertationem inauguralem* conscripturus periculum facere volui ; Et quia decantatus ille *cortex Peruvianus* mihi ad hoc tentamen aptissimus est visus , hunc elegi ; Hujus igitur *effectus* , sive *phenomena* , post corticis usum observata , primo recensabo , dein *hypothesin* quoram his omnibus & singulis quadrantem , & hanc certam & veram esse , non frustra statuam . Faxit Deus ut omnia
 vergant in sui Nominis gloriam &
 proximi salutem .

DIS-



DISERTATIO INAUGURALIS MEDICA DE CORTICIS PERUVIANI MODO OPERANDI.

§ I.

CORTEX PERUVIANUS vel CHINA CHINÆ est cor-
tex arboris cuiusdam in America, speciarim in ejus Regno Peru, hujusque Provincia Quito, in montibus non procul ab urbe Loxa, crescentis & ab incolis Gannaperide vel Gannaperis vocatae.

§ II.

Variis hic cortex gaudet nominibus, scilicet vocatur China de China, China Chinæ, Kinkina, Kinakina, Kinaquina, China Kanna, Quina quina, Cortex Indicus, Cortex Americanus, Cortex Sinenis, Cortex Febrilis aut febrifugus, Cortex Antiquarius, Cortex Patrum, Pulvis Cardinalis de Lugo, lignum de Lima, Cascarilla de Oja, Pulvis Comitissæ, Hispanis Palo de Calenturas; hoc est lignum febrium, Germanice Peruvianische Americanische Indianische Fieber-Rinde/FieberChina.

Cort. Peruv.
Synonyma.

§ III.

Ut historiam hujus corticis etiam paucis tradam, hæc est: Virtus ejus Febrifuga jam pridem olim Indis, Regni Peruani incolis innotuit; verum, quamvis Christophorus Columbus hanc mundi plagam Anno 1492: jam detexerit, hoc tamen remedium ab Indis, ex odio erga Europæos præsertim Hispanos

Hispanos concepero, usque ad annum 1640. de industria fuit occultatum. Tandem autem Hispanus quidam urbis Loxæ Praefectus in ejus notitiam venit, qui comitis del Cinchon tunc Proregis in Peru, uxori, febre tertiana periculose decumbenti, remedium hoc misit & commendavit, quo assumto stupentibus omnibus, dicto citius convaluit; Hinc fama hujus arcani, sub titulo pulveris comitis, per totam Americam Hispanicæ editioni subjectam brevi multum inclaruit; Discendente autem Prorege ex India, ubi in Hispaniam reversus est, illico percrebuit ubique rumor de novo hoc febrisfugo per totam Hispaniam, dein Romæ quoque R. R. P. P. Soc. Jesu corticem hunc religiosis & pauperibus gratis largiebantur; Hinc celeriter gressu fama ejus per totam Europam spargebatur, & ipse cortex ubique gentium à Professoribus sere quibusunque in ultim recipiebatur. Paulo post tamen hic cortex suos etiam habuit osores, quorum alii serio vim ejusdem adstringentem, stypticam, obstruentem, exsiccantem, calefacientem, narcoticam &c. Accusat & exempla cirabant eorum, qui post usum corticis in recidivas graviores, vel hecticam, hydropem, aliasve morbos plerumque lethales inciderunt; Alii vero dolose Consilium ceperunt, de hujus febrisfugi fama præmatûre supprimenda, ne scilicet hac succineta methodo, febres obtruncandi, ægrotantium crumenas emulgendi occasio tolleretur. Alii medium tenuerunt & adhuc hodie plerique cum ILLUSTRI HOFFMANNO statuunt, quod hic Cortex optimum, efficacissimum & turissimum sit remedium, si quis eodem recte uti sciat. vid. Ill. Fr. Hoffmann. dissert. de recto corticis China usu in febribus; Quoniam autem institutum meum non est prolixam hujus Corticis historiam ex aliis Autoribus exscribere, sed solum ejus modum operandi, e collatis inter se observationibus practicis eruere, propterea benevolum lectorum, qui hac de re plura scire cupit, ad Rich. Morton Pyretologia cap. viij. remitto.

§. IV.

C. P. differen-
tia & selectus.

Antequam autem ulterius progredior, opera pretium imo necessarum est, nonnulla de differentia & selectu corticis nostri præmittere; Audiamus hac de re MORTONUM, qui

in Pyretolog. Cap. 8. tam ipse queritur quam multas querelas
variorum Medicorum e diversis regionibus de adulteratione
corticis allegat, quæ I. c. videri possunt. Propterea CORTI-
CEM PERUVIANUM merito distinguo in GENUINUM S.
VERUM & SPURIUM. Quoniam autem in praxi Medica
maximi momenti res est, corticem genuinum & utilem a spu-
rio & noxio bene distingue, necessarium esse duxi, diffe-
rentias utriusque, quæ in plerisque aliis Auctoribus frustra qua-
runtur ex Mortoni Pyretologia allegare, prostant autem Cap. 8. I. c.
his verbis: „ *Genuinus Cortex* colorē *Cinnamomi* visui refert.
Nigricans colorē suum ab alio aut aliquo alio ejusmodi „
proculdubio mutuatus est: *Genuinus* sapore satis grato ac „
aromatice amaro est: Injucunde *Amarus* ac intenſe *acerbus* „
pro supposititio habendus est: *Genuinus Olfac̄tui* odorem spi- „
rat peculiari modo *Mucidum*, attamen suavem, gratum & „
aromaticum; Atque huic sensui in *Corticis* genuini sinceri- „
tate deprehendenda, præ cæteris omnibus, ego credere fo- „
leo & *corticem*, cui gratus hic a peculiari modo *Mucidus* „
odor deest, qualemcunque saporem & colorē referat, „
semper suspectum habeo. Denique *Genuinus* dentibus at- „
tritus, vel quoconque alio modo fractus, *friabilis* est, non „
viciidus & glutinosus, quem utpote liquore aliquo tenaci „
imbutum & saturatum rejiciendum duco. *Corticem* etiam „
male electum sensu facile deprehendemus, num. Sc. sic crassus „
& ligneus, quippe *tenuis* ille, qui a ramulis raditur, est „
maxime vegetus, quia succo recenti saturatus. *Effætus* ac „
annulus fere omni sapore præsertim amaricie privatur. *Pu-* „
tridus etiam, modo frangatur, sese palam oculis prodit, „
cum multa tamen diligentia hoc scrutinium fieri oportet, „
quippe ex vaftitie & avaritia Mercatorum ac Aromatariorum, „
mercimonii causa, sapissime ad partam quantitatēm genuini „
ac vegeti *Corticis* pars multo major spuriū effetti ac male „
effici adscicitur qui fucus haud ita facile deprehenditur, ubi „
in pulverem redigitur *Cortex*. videantur quoque WERL- „
HOF. obſerv. de febribus pag. 82. & 83. Ex his igitur omni- „
bus manifestum est, i. *Corticem Peruvianum* vix in Euro-

pam fuisse delatum, quin statim Aromatariorum aut Mercatorum fraudibus corruptus vel adulteratus, vel aliud nescio quid ipsi substitutum fuerit. 2. Hanc adulterationem corticis adhuc hodie, quod dolendum est, valde frequentem esse. 3. Quibus signis & characteribus verus a Spurio sit dignoscendus. 4. Qui corticem in officinis nostris Pharmaceuticis secundum characteres a Mortono descriptos examinare cupit genuinum interdum quidem & parum plerumque tamen spurio mixtum inveniet; Quod vero 5. Etiam genuinus noster cortex sub dosi 3ij. tantum non praestet, quantum olim in Italia, Anglia &c. præstítit, sine dubio sit, quia non est adeo recens ac in modo dictis regionibus olim erat.

§. V.

C. P. effectus
varii.

Accedo nunc ad primariam meæ Dissertationis partem, quæ est **EFFECTUS VARIOS** in corpore humano, non tam à priori, quam per observationes practicas demonstrare, ut collatis simul ejus elementis; eo certius de modo operandi judicare queam; sunt autem effectus corticis, experientia teste sequentes:

1. *Febres intermittentes* quascunque cito & certo tollit, adeo ut inter innumeræ observationes paucissimi dentur casus in quibus spem fecellit; Hæc ejus virtus febrisfuga omnibus adeo est nota & experimentis innumeris demonstrata, ut tempus & charta deficeret, si omnia ex Authoribus fide dignissimis allegare vellem. Sed objiciunt non pauci, corticem quidem febres fugare, sed vel graviores recidivas, vel periculosos imo letales morbos producere. Hanc vero controversiam dirimere nondum est hujus loci; quare sufficit corticem nostrum habere vim antifebilem. Interim hac de re legi merentur, *Act. Med. Uratislav. An. 1728. p. 1029. & R. Morton. pyretologia.*

2. *Febrium intermittentium* non recte curatarum vel ipso cortice Peruviano spurio, aut genuino non debite dato, corruptarum recidivas aut reliquias periculosas, hydropem, tussim fere phthisicam cardialgias ipse Excell. D. PRÆSES hoc cortice sæpè curavit, quæ observationes in *Eph. N. C. vol. 5. obs. 115. latius descripta* videri possunt. *Vid. quoque Morton. pyretol. p. 33.*

3. In omnibus morbis periodicis, etiam sine febre manifesta,

sta, corticem hunc utiliter exhiberi, testantur observationes practicæ à Mortono in pyretologia descriptæ; nec non historiæ morhorum, in Eph. N. C. dec. III. Ann. 3. app. pag. 50. d. III. A. 2. & 8. p. 346. enarrate: Confer. v. Riedlini cur. Med. Millen. observ. 27.

4. In febribus etiam petechizantibus opem præstare docent experimenta in commerc. lit. Norimb. Ann. 1736. pag. 400. 414. relata.

5. Anthelminticam ejus efficaciam prodidit hic cortex in observationibus, quæ videantur in Eph. N. C. dec. II. An. 9. app. pag. 24. & 51. An. 10. p. 229. d. III. A. 2. p. 60. & 185. cent. 3. & 4. pag. 385. Histor. morb. Uratislav. p. 38. Franc. Redt in obs. animal. viv. p. 98.

6. Antarthriticum & antipodagricum esse non solum restatur SYDENHAMUS p. 570. sed & hoc evincunt observationes in Eph. N. C. cent. 3. & 4. p. 145. & 385.

7. Antibrychianum ejus effectum videre licet in SYDENHAMI prax. Med. p. 519. & Eph. N. C. Cent. 3. & 4. p. 450. dec. II. A. 8. p. 46. ut & in memoires de l' Acad. des sciences An. 1713.

8. Emmenagogam ejus virtutem vide in Eph. N. C. dec. III. A. 2. p. 60. APIN. tr. de febr. Epidem. p. 93. & 94. qui simil HÆMORRHOIDES SUPPRESSAS hoc cortice revocati restatur.

9. Sudores Colliquativos sistere tradunt Eph. N. C. cent. 3. & 4. p. 383.

10. In hemorrhagiis variis, fluxu mensium nimio, hæmoptysi, vomitu cruento, utilis inventus fuit in Eph. N. C. cent. 3. & 4. p. 383.

11. In fluore albo suam efficaciam comprobavit. In Eph. N. C. cent. 3. & 4. p. 383.

12. In dysenteria proficuum esse docent comm. lit. Norimb. An. 1735. p. 225.

13. Ad cephalgiam eundem valere, non solum in me ipso, ante tres annos gravissima cephalgia & ophthalmia periodica laborante, hoc tandem cortice curata, sum expertus, sed & hoc tradunt Eph. N. C. cent. 3. & 4. p. 383. Mort. Pyretol. p. 78.

14. Hydropem curasse legitimus in Eph. N. C. vol. I. p. 274. & vol. V. p. 394. commerc. lit. Norimb. A. 1732. p. 323.

15. Ad abortum praecavendum utiliter exhibitum fuisse, vide in commerc. lit. Norimb. A. 1736. p. 164.

16. Icterum sanasse legimus in comm. lit. Norimb. An. 1736. p. 19. & 20. Alex. Camerar. dissert. de usu corticis à febre ad icterum extenso, ubi plures observationes icteri cortice sanati refert.

17. In dysuria tollenda suam efficaciam ostendit: In commerc. lit. Norimb. An. 1736. p. 19.

18. Ad gangrenam & sphacelum sistendum insignem & manifestam efficaciam habere nuper detectum, & varils observationibus practicis demonstratum fuit. Vid. Act. Edimburgensia vol. III. comm. lit. Norimb. A. 1733. p. 174. 345. 417. A. 1735. p. 40. & 1736. p. 92, nec non Experiens. WERLHOFFII observ. de febribus. Idem etiam expertus est & non nullis observationibus comprobavit Clariss. HEISTERUS in Eph. N. C. vol. V. p. 520.

19. Puellæ adultæ, quæ circa mensium tempus hemorrhagiam narium subitam & ingentem elabente sanguine limpido & fœtido, una cum vomitu cruento sanguinis spissi, nigerrimi, passa fuit, accedentibus circa collum & in brachiis maculis, partim nigris, partim violaceis, cum subitanea virium prostratione, deliquiis, pulsu parvo & frequentissimo, facie livida & quasi nigricante, Celeb. WERLHOFFIUS exhibuit quovis bihorio corticis Peruvianæ drachmam dimidiā, optato cum successu & brevi ac feliciter restituta sanitatem. Talemque morbum muculosum hemorrhagicum singularem se sèpius observasse testatur in Comm. lit. Norimb. An. 1735. p. 51.

20. Corticem quoque nostrum plerumque diaphoreticam & interdum etiam diureticam exercere virtutem ostendunt observationes multæ practicæ, quas videre licet in Eph. N. C. V. l. p. 276. Memoires de l' Acad. Roy. des sciences A. 1713. p. 45, & APINI tract. de febr. Epidem. pag. 91. Ubi quis objicere posset corticem, quem APINUS in illis moxibis adhibuit, fuisse cascariellam non Chinam China (quamvis ipse APINUS eum corticem Peruvianum appellat, & l. c. p. 93. vim corticis sui alvum laxantem ex observationibus MORTONI cum suis propriis collatis comprobet, quem tamen MORTONUM China Chinæ usum fuisse, certissimum est) contrarium autem manifeste demonstravit Celeb. WERLHOFFIUS in observ. de febribus, ut & in commerc. lit. Nor. A. 1734. p. 154. & 401.

21. Cor-

21. Corticem Peruvianum etiam eximias mirandasque vires in sanguine & spiritibus confortandis invigorandisque habere, ejusque scrupulum unum mane & tero ad septimanas aliquot deglutitum, sanam firmamque corporis crasis (tum viris hypochondriacis, quam hystericas foeminas diu multumque ægrotantibus, dejectaque jam quasi corporis œconomia) restituisse observavit SYDENHAMUS, uti testatur in sua praxi Med. p. 519. Idem observarunt HEISTERUS in Eph. N. C vol. 5. p. 520. MORTON. Pyretol. observ. 29. conf. Excellent. F. HOFFMANN, dissert. de recto corticus China usū in febribus §. 34. ut & WERLHOF. qui in suis observ. de febribus p. 253. recenset historiam. Alicujus viri febre tertiana cum hæmoptysi & tussi violenta laborantis, qui per integros 6. menses, quotidie quinques 3*lb.* corticis, assumpsit indeque optime & longe melius, quam diu ante haabuit, corporis etiam habitu magis vivido & pinguiori facto.

22. Tandem in *purpura scorbutica* pertinaci & irradicata per utilem hunc corticem deprehendit ipse Excell. D. PRÆSES. Idem testatur Expert. D. Dr. KRAMER in egregio suo tractatu de scorbuto, quod scilicet ipse sexaginta milites cæsareos post febres intermittentes scorbuto laborantes cortice curaverit, exhibita simul debita diæta; quod vero alio tempore, in aliis die-tæ regulas negligentibus non successit. Vid. KRAMER. tract. de scorbuto. p. 14.

§. VI.

Expositis igitur observationibus practicis effectus corticis c. p. modus varios admodum & salutares ostendentibus, inquirendum nunc ^{operatori} operandi est, quomodo cortex noster hos effectus exserat; Loquor autem de cortice toto, in substantia, ut vocant, summo, non vero de uno vel altero ejus elemento inde separato. Examino variorum hypotheses diversas, easque cum observationibus conferam, ut appareat quænam optime quadret, & propterea tanquam vera sit admittenda, quæ vero tanquam minus congrua sit rejicienda. Plurimi corticis vim adstringentem, alii narcoticam, alii incrassantem accusant; Alii mitius sentientes ejus vim resolventem, diaphoreticam, ballamicam & roboran-

tem laudant, Alii ex his virtutibus aliquot combinant, certi-
ci tribuunt & inde suos effectus explicant.

§. VII.

*Adstringens
quid.*

Primo loco ad examen vocabo *vim adstringentem*, quæ
corticis nostro à plurimis, ceteroquin Excellentissimis Medicis
adscribitur: Antequam autem hoc fiat, præmittenda est defi-
nitio remedii adstringentis: *Adstringens* in sensu strictiori vo-
catur, quod canales corporis humani contrahendo, eos angu-
stiores reddit, quam in statu naturali esse solent, vel plane oc-
cludit, siveque humorum transitum vel retardat, vel impedit.

Jam quæro, an febrium, male curatarum reliquiæ, hydrops,
icterus, sphacelus, arthritis, malum hypochondriacum, aut scor-
butus adeo feliciter & promte curari queant unico remedio
adstringente, sicut hos morbos frequenter cortice curatos suisse
legimus & quotidie videmus? An quoque sanguinis & spiri-
tuum vigor totiusque corporis robur egregie refocillari queat
sola largissima adstringentis cujusdam remedii assumptione?
Quæ tamen omnia præstat cortex noster. Ego quidem adstri-
ctionem sive canalicularum in humano corpore contractionem
ultra naturalem statum, cum supra laudatis effectibus concilia-
re nequeo. Imo potius prædictos morbos ab adstringentibus
inserri & præsentes augeri notissimum est. Quare non amplius
dubito statuere, corticem Peruvianum non agere adstringendo.
Sicut enim in *Astronomia* ad rejiciendam falsam quandam hy-
pothesin, v. g. lunam esse pellucidam, unicum sufficit phæno-
menon illi contrarium, sc. umbra lunæ in Eclipsi solari obser-
vata; Ita multo majori jure fictam corticis Peruviani *vim ad-*
stringentem nego, dum cum nullo phænomeno, vel ejusdem
effectu quadrat. Quoniam tamen hæc vis corticis adstringens
plurimorum animis adeo alte infidet, ut vix eradicari queat,
operæ pretium imo necessarium est, ad omnes objectiones af-
ferri solitas prius respondere, quam ulterius progrediar; sunt
autem sequentes:

1. *Cortex Peruvianus* austерum & stypticum habet sapo-
tem, ergo adstringit. Ad quod respondeo, distinguendo inter
corticem verum & spurium; Hic plerumque est austerus &
stypti-

stypticus, ille uero non; Fateor quidem multos Auctores de cortice scribentes adstringentem imo stypticum saporem ipsi adscribere, alios autem amarorem ipsi tribuece cum aliqua saltem adstrictione, sine eximia austera acerbitate; alii denique cum *Auctore des admirables effets du quinquina.* Sapores plurimos & hinc salia multiplicitis generis in cortice convenire notant, eosque eo magis agnoscit, quo diutius pharmacum masticetur: primo enim id reperiri insipidum, deinde acre, postea amarum, & deinde plures semper emergere saporum diversitates, haud penitus explicabiles; sed gustu certe cognoscendas, quæ optima sit bonitatis nota; Adstrictionis plane mentionem non faciunt *Vid. WERLHOF. observ. de febrib. p. 82. & 83.*

Quid igitur in tanto, de sapore corticis, dissensu judicandum erit? Ego quidem non dubito quin plurimi corticem illum spurium, adeo frequentem, ut saepe verus præ illo vix inveniri queat, degustaverint; Aliis forte aliorum auctoritate seductis, accidit, quod ERASMUS in *Colloq. de spectro: de sociis Poli draconem velantem videntis narrat.* Videntur quidem omnia siccata, lignosa vel terrea, linguæ imposita, facultatem quandom subadstringentem in eam exercere, quæ tamen potius ab humiditatis attractione, quam vera adstrictione dependet; Quis enim omnia lignosa & terrea corpora vere adstringentia vocabit? Sed de gustibus non est disputandum; Quare solum hoc unicum addo, me frequenter corticem verum & genuinum gustasse, sed eum nec *austerum*, nec *adstringentem* multo minus *stypticum* deprehendisse; Qui dubitat, degustet; Hæc est potentissima probatio. 2. Cortex Peruvianus, sicut alia adstringentia vegetabilia, cum solutione vitrioli mixtus, nigrescit, ergo adstringit, ut quiundam est sententia, Respondeo: Corticem quercus, solutione aloes tinctum & fucatum atque pro Cortex Peruviano venditum hoc facere bene novi; forte etiam alias spurius cortex hoc faciet, sed cum vero & genuino cortice ipse ego experimentum feci, illumque cum variis vitrioli solutionibus miscui, neque ullam unquam coloris mutationem observavi. 3. Objicitur plutes dari observationes practicas, corticis vim adstringentem & noxiā manifeste demonstrantes; Hoc argumentum certe maximum habet pondus;

Quare necessarium est, illas observationes, quæ solent allegari paulo accuratius examinare; Si vel in unico casu corticis nostris vis adstringens evidenter ostenditur, vietas dabo manus, si minus factas esse dicam corticis vires adstringentes: Quia vero justam habeo suspicionem, quod in multis observationibus practicis usum Chinæchinæ concernentibus, vel 1. Cortex spirius loco genuini usurpatus, vel 2. Genuinus perversa methodo adhibitus, vel denique 3. Effectus ab ipsa materia febili dependens insonti cortici fuerit adscriptus; Propterea necessarium est, ut methodum corticem nostrum adhibendi debitam & usum probatam paucis exponam, antequam ad supra dictum observationum practicarum examen accedam: consistit autem methodus corticem adhibendi in sequentibus. 1. Si nullum periculum est in mora, corpus ad curam præparetur, potissimum si opus est emeticis & purgantibus convenienti modo datis ne sc. cruditates primarum viarum novum morbo formam semper subministrent; Huc quoque pertinet cum debita circumspectione & cautela administrata venælectio. 2. Si febris est levis aliis remediis facile superanda, hæc dentur & a cortice abstineatur; non quod noceat, sed quia præconceptus plurimorum nœtus & nausea corticis, ejus effectum interdum impedit, imo saepè ægris, nesciente Medico, corticis usum negligunt, clam alia sumunt, & tamen postea omne malum inde redundans cortici & Medico adscribunt v. Storch. not ad Stahl. prax. p. 1006. &c. 3. Si vero necessitas corticis usum suadet, eligendus est verus, & genuinus supra descriptus ex Morton. Pytol. 4. Optime datur in substantia, subtilissime pulvlerisatus, cum vehiculo quocunque apto & grato. 5. Prima dosis, præsertim larga nunquam detur brevi ante paroxysmum, alias ob efficaciam suam haud adeo citio sanguini communicandam futurum paroxysmum nequidem imminuit multo minus tollit, interim tamen ventriculum, ab imminentे paroxysmo mox irritandum gravius afficit, præsertim si cum nausea, quod plerumque fit, deglutitur (quod a cibis etiam quibuscumque eo tempore sumitis fieri notum est) propterea que totum paroxysmum exacerbat; Neque durante paroxysmo detur, ne ventriculo jam fatis patienti plures molestias creet; Corticis igitur

igitur usus statim ac paroxysmus deferunt est incipiendus. 6. Quod dosis Corticis attinet, attendendum est ad morbi gravitatem, si febris est perniciosa, v. gr. soporosa, apoplectica, aliisve periculosis symptomatibus stipata, vel si debiles gravidas &c. affligit, vel si sphacelus, aliasue morbus moræ impatiens, cortice tamen demandus adest, non cunctandum est, sed tempore inter duos paroxysmos intermedio, integra, si fieri potest, corticis uncia, in partes æquales divisa, & per horas a febre liberas æqualiter distributa, propinetur; vel in sphacelo quovis bihorio drachma dimidia detur; si vero morbus mitior est & periculo caret, sufficit singulis quatuor horis, extra paroxysmum 3i. vel 3ß exhibere. 7. Superato apparenter morbo, non statim ab usu corticis abstinentum sed adhuc ad minimum per octiduum continuandus est, ita tamen ut quotidie paulo parcus assumatur, scilicet ut sic omnis causa morbifica totaliter eradiceretur, neque recidivæ vel alterius gravioris morbi metus relinquatur. Imo si morbus gravior est, vel aliores in massa sanguinea radices egisse videtur, uti sphacelus, scorbutus, &c. Corticis etiam ulus debet esse diuturnior. 8. Quia febres intermitentes, etiam si bene curatae videantur, 2. vel tertia, post emansionem paroxysmi, septimana facile recidivare solent; Consultum est, corticem eo tempore, & quidem antequam ingruat recidiva repetere, eumque ad 3ß. vel 3j. partitis vicibus denuo præbere, talemque methodum, si circumstantiae suadent, etiam aliquoties adhibere, ut sic febris cum omnibus suis reliquis funditus extirpetur. 9. Quia subinde febribus aliisque morbis, quorum cortex noster est specificum, accedunt symptomata saepe valde molesta & noxia, nihil impedit quo minus illi remedia symptomatibus his quadrantia commisceantur, modo talia sint, quæ nullas nimias evacuationes efficiant, & ipsius etiam Corticis sufficiens & debita dosis, ob aliorum admixtionem, non imminuat. Ita ex. gr. si alvus est vel tardior, vel obstructa vel cruditatum in primis viis hærentium suspicio adest, commode rhabarbarum aut ɔia fixa cortici permiscantur. 10. Tandem post usum corticis primis tribus, imo quatuor septimanis ab omni medicatione hereica, se. v.

lect. purgatione, emesi, sudatione coacta abstinentium est, dum præterea conveniens diæta servanda & a refrigeratione corporis potissimum cayendum est; alias facile, sicut experientia testatur, paroxysmi febries revocantur.

Qui prolixius has regulas etiam observationibus practicis corroboratas legere cupit, evolvat Mortoni pyretolog. & Werlhof. observ. de febribus. Nunc itaque me accingo ad observationum supra dictarum examen.

I. Si, quæ legitur in Eph. N. C.D. 11. A. 9. & 10. observ. 109. Ubi narratur Anno 1699. prope Mannheimum, quadringentos pene milites febre tertiana correptos, omnes brevi, post aliquas saltem Chinæ Chinæ doses sc. 3j. hydropicos eyasile, febre quoque mox recrudescente; quorum plurimi post usum pilularum hydragogarum, præcipitantium absorbentium & aperientium convaluerunt, multis Chinæ Chinæ usum vita luctibus.

Sed quid mirum adeo male cessisse curam illam; siquidem i. Eo probabilius est chinam in hoc casu datam fuisse spuriam, non veram, quo frequentior olim erat & in multis pharmacopoliis adhuc est illa spuria quam vera.

II. Quodsi etiam genuina fuisset China Chinæ, duplex ramen & gravis in hac cura fuit commissus error, alter, quod non sufficiens ejus quantitas fuerit exhibita, alter quod brevi post ejus usum solis hydragogis certatum fuerit. Vid. supra Method. adhibendi corticem regula 6. & 10.

Hic igitur non cortici Peruviano vero sed vel spurio, vel materiæ febrilli non bene curatae, damnum est adscribendum. Quis nescit, quod olim etiam, antequam cortex in Europa notus erat, & adhuc hodie sine corticis usu non raro febres intermitentes hydropem comitem habeant. Similis casus, ante aliquor annos, obtigit Excell. Domino PRÆSIDI, qui ad nobilem ægrum hydropicum vocatus, postquam comperit eum antea tertiana laborasse & ad hanc curandam, plures corticis uncias devorasse, statim hanc corticis speciem examinavit, eamque spuriam deprehendens, mox verum & genuinum corticem cum \ominus amaro Sedlicensi mixtum in sat larga quantitate propinavit, interposito simul ejusdem salis & aquæ Sedlicensis

licensis usu; Quibus remediis, benedicente Deo, plenarie convaluit æger.

II. Abscessum in capite lethalem, post profligatam China chinæ febrem, memorant *Eph. N. C. Cent. 3. obs. 25.* Sed qualis china & quomodo fuerit adhibita, nulla mentio fit, quare hæc observatio ad rem nostram nihil facit, præterea notum est materiam febrilem etiam sine cortice, varias frequenter abscessus producere.

III. Diabetem a febre cortice fugata recentent eædem *Eph. d. 2. An. 9. obs. 204.* Sed cum & hic de corticis qualitate, quantitate & usu nihil dicatur, inde quoque nihil concludere possumus.

IV. In actis Medicorum Uratslavensium. An. 1730. pag. 888. prostat exemplum juvenis cuiusdam, qui erroribus in diæta commissis febrem tertianam contraxit, quare suasu balnearioris, per tres dies consecutivos, mane & vesperi chinæ chinæ drachmas duas pro dosi assumvit, hinc a febre quidem liberatus fuit, sed in cachexiam, febrem lentam & hydropem tandem lethalem incidit. Sed quis non videt balneatorem illum imperitum contra regulas supra traditas, potissimum 1. 6. 7. forte etiam 3. graviter peccasse: Quare malum non chinæ veræ, sed vel spuriæ vel perversæ medendi methodo & propterea materia febrili & primarum viarum cruditatibus non satis eliminatis adscribendum est.

Plures quidem ejusmodi observationes afferre possem, in quibus partim incertum est, quæ corticis species fuerit adhibita, partim etiam in quantitate & modo remedium hoc propinandi peccatum fuit. Ne unicum autem invenire possum easum, in quo cortex verus ullum adstictionis vestigium reliquerit, quare consentio cum *Sydenhamo*, qui in epistola respons. 1. pag. 377. Ita scribit:

Quo autem pacto deprehendemus corticem vi sua adstrictoria febres fugare? Qui id probare velit, necesse erit, ut prius alia adstringentia pari virtute predita in medium afferat; Mibi certe vel eorum fortissima adhibenti in experimentum nondum e voto cessit.

§. VIII.

P. C. non agit
vi narcotica
&c. Progredior nunc ad vires *narcoticas*, *incrassantes* aut *ex-
siccantes*, a non nullis immērito cortici nostro adscriptas; quod-
si enim hæc facultates omnes aut singulæ cum supra §. 5. cita-
tis v. ri corticis effectibus comparantur, congruunt uti rotun-
da quadratis; Quod prolike demonstrate superfluum esse duco.

§. IX.

C. P. vis ro-
borans. Refutatis igitur Corticis Peruviani *viribus adstringentibus*,
narcoticis, *incrassantibus* & *exsiccantibus*, quoniam observatio-
nibus practicis minime quadrant; Inquirendum ulterius est,
an forte *roborando*, *resolvendo*, vel *balsamica vi* sanguinem
& humores omnes inficiendo suas egregias vires exserat; *Ro-
borans* est, quod fibrarum solidarum tonum & elasticitatem,
proptereaque reactionem earundem in humores vel restituit
vel augerat.

Prolixum nimis esset elasticitatis sive toni fibrarum cau-
sus, modum quo solet augeri vel imminui, nec non ejusdem
effectus exponere, atque tam experimentis quam rationibus
illustrare. Sufficiat igitur examinare an corticis effectus cum
facultate roborandi conspicerent.

Omnium fluidorum in corpore nostro circulantium mo-
tum debitum & naturalem, a debito fibrarum tono depende-
re, proptereaque vitam & sanitatem sine tono fibrarum sub-
sistere non posse, sed potius, illo alterato, mox labefactari,
res est inter Medicos certissima; Præterea constat quod mor-
bi diurni partium solidarum tonum maxime debilitent, quic-
quid igitur multos morbos chronicos sanat, eorumque reli-
quias feliciter tollit, abortum præcavet & præterea sanguinem
& spiritus confortat, totique corpori robur eximium addit,
illud in rito roborans vocatur; Hæc autem omnia læpissime præ-
stat *verus cortex Peruvianus*, sicut ex observationibus §. 5. ci-
tatis abunde patet; unde roborandi facultatem ipsi non dene-
gandam esse concludo.

§. X.

C. P. vis re-
solvens Quod *resolventem* ejus vim attinet, hæc pariter effectus
corticis examinanti & vel leviter attendenti facile patet; Iste-
rum

rum , hydrozem , malum hypochondriacum , plurimosque alios morbos chronicos humorum viscidorum resolutionem requiri nemo nescit; Præterea vis corticis diaphoretica , diuretica & alvum laxans , quas frequenter exserit , hoc testantur; Confer. §. 5. No. 14. 16. & 20.

§. XI.

Balsamica denique virtus corticis nostri præ reliquis omnibus videtur esse luculentior; Quomodo enim arthritidem , sudores colliquativos , fluorem album , sphacelum & scorbustum sine vi balsamica sanare posit , non video ; Imo sapor ejus amaricans , quo virtutem anthelminticam possidet , hoc satis ostendit. Quare neque de hac esse dubitandum existimo.

C. P. vis Balsamica.

§. XII.

Gaudet igitur cortex noster vi robore , resolvente & C.P. vis specifica in periodicis morbis. balsamica , quibus conjunctis omnes illos egregios §. 5. citatos eff. & exserit. Hoc tamen adhuc manet dubium , cur præcise in febribus intermittentibus earumque reliquiis , ut & aliis morbis periodice recurrentibus specificam magis exserat efficaciam ; Ad quod respondeo ; Febres intermittentes omnesque morbos periodicos peculiarem causam materialem agnosceret , cuius quidem natura & indoles a priori demonstrari non potest , eam tamen cortice debellari testatur experientia , unde non solum in febribus sed & in omnibus morbis periodicis specifica se gerit , non exclusis tamen variis aliis morbis non periodicis , ex. gr. scorbuto , sphacelo , quorum forte plures adhuc detegit ulterior Medicorum industria & experientia.

In mentem adhuc venit aliud dubium non reticendum , sed solvendum ; Scilicet Experientissimus SYDENHAMUS cæteroquin Corticis Patronus , in sua praxi Medica pag. 351 ita scribit : *Ille etiam qui largum & repetitum corticis Peruviani usum experti sunt , huic malo (scilicet rheumatismo scorbutico , de quo hoc capite agit) sunt obnoxii ; Quod quidem unicum est incommodum , quod ex hoc remedio illatum novi unquam ; Hæc igitur observatio practica corticem nostrum malignitatis alicujus arguere videtur . Comparemus autem ipsius methodum ,*

dum, corticem exhibendi, cum ea quam frequens & diuturnus usus docuit modernos Medicos; Ipse suam methodum in praxi Med. p. 113. seqq. verbis describit: *Peruviani corticis* *3ij. cum syrup. rosar. rubr. 3ij.* miscatur; *eger vero quanticatum mucis moschatae majoris mane & sero quotidie devoret, diebus a genuino paroxysmo vacuis, donec confectionem omnem absumperit;* Repeatur porro ad tres alias vices, interiectis semper diebus quatuordecim. Hæc certe non conveniunt cum regulis supra §. 7. traditis, imprimis cum regula 6. & 7. Hoc enim modo materia febrilis plerumque non in totum sed in tantum collitur, ut quasi caput erigere sicque tibrem producere quidem non valeat, datis tamen induciis 14. dierum lensim iterum augetur, & quamvis singulis tribus septimanis parciori corticis usu denuo debilitetur aut imminuat, nunquam tam funditus eradicatur, quare paulatim humoribus intimus permixta quasi scorbuticam corundem intemperiem efficit.

F I N I S.



modello di un gran mosaico, con cui si vuole rappresentare la storia dell'umanità. Il primo piano è quello della natura, il secondo della civiltà, il terzo della religione. Il quarto piano è quello del progresso. Il quinto piano è quello della vita quotidiana. Il sesto piano è quello della vita familiare. Il settimo piano è quello della vita sociale. Il ottavo piano è quello della vita politica. Il nono piano è quello della vita economica. Il decimo piano è quello della vita culturale. Il undicesimo piano è quello della vita spirituale. Il dodicesimo piano è quello della vita intellettuale. Il tredicesimo piano è quello della vita artistica. Il quattordicesimo piano è quello della vita letteraria. Il quindicesimo piano è quello della vita scientifica. Il sedicesimo piano è quello della vita filosofica. Il diciassettesimo piano è quello della vita teologica. Il diciottesimo piano è quello della vita morale. Il diciannovesimo piano è quello della vita sociale. Il ventunesimo piano è quello della vita familiare. Il ventitreesimo piano è quello della vita quotidiana. Il ventiquatresimo piano è quello della vita politica. Il ventiseiesimo piano è quello della vita economica. Il ventiseiesimo piano è quello della vita culturale. Il ventiseiesimo piano è quello della vita spirituale. Il ventiseiesimo piano è quello della vita intellettuale. Il ventiseiesimo piano è quello della vita artistica. Il ventiseiesimo piano è quello della vita letteraria. Il ventiseiesimo piano è quello della vita scientifica. Il ventiseiesimo piano è quello della vita filosofica. Il ventiseiesimo piano è quello della vita teologica. Il ventiseiesimo piano è quello della vita morale.







